Tractatvs De Pvtredinae Excellentissimi Philosophi Et Medici ...

Girolamo Accoramboni

bus ipse inter se dissident, ita ut nullus (nisi forte à ueritatis uia omnino deuius) affirmare posthac audeat has duas putredines in idem omnino coire, & quoniam hoc ipsum haud quaq̃ perspicue intelligi potest nisi philosophorum, ac medicorum sententiæ. De putrefactione prius audiantur idcirco præmittemus quæ ab Aristotele quæue à Galeno de ipsa scripta sunt ex quibus quod promisimus facile cognoscetur hoc est in quibus [redacted] duę illę putredines conueniant, & quibus interse dissideant. Hanc autem lucubrationem nostram nomini tuo dicatam in lucem prodire uolui, ut qui is sis, qui præter sanctam, piamq; Religionem, quàm tantopere tanq; integerrime, & obseruas, & colis, & præter sacrarum litterarum studia, pro quarum pleniore perfectioreq; cognitione non solum latinas, sed & Græcas, & Hebraicas litteras callere uoluisti. Vtranq; quoq; philosophiam diuinam, uidelicet & naturalem amplexus sis.

Accipe igitur Reuerendissime D.D. pauca hæc nostra de putrefactione nuper elaborata, quę quum uacabis interdum à diuinarum rerum altioribus studijs animum remittens legere non grauaberis, et an recte hac in re senserim dijudicare interea bene uale.

INCIPIT TRACTATVS de Putredinæ Clarissimi. D. Hieronymi Acoramboni Eugubij.

INTER Multas mixtorum corporum passiones prima ferè post ipsorum generationem est putrefactio, quæ quia corruptio quędam est simplici generationi contraria est, ut Aristo. dixit metheororum quarto, & Textu tertio, ut inferius repetemus deffiniuitq; ipse putrefactionem eodem libro Textu Sexto sic.

Putrefactio est corruptio quædam in uno quoq; hu=
» mido proprie, & secundum naturam caliditatis ab
» aliena caliditate, ipsa autem est quæ continentis.
De qua deffinitione laudauit Aristotelem Galenus
in libro secundo de Febrium differentijs capite nono
» dicens, nam recte uidetur sensisse Aristo. ab aliena
» caliditate oriri putredinem uoco autem alienam ex–
» ternam non usitatam, atq; natiuam in quocunq; ge=
» nere rerum, nam hæc coquere apta est, extranea
» uero corrumpere quod est putrefacere. Confirma=
uit etiam & quoquo pacto amplificauit hanc Ari=
stotelis sententiam Libro undecimo methodi me=
dendi capite octauo uolens & ipse notificare putre=
» dinem seu deffinire. Dixit enim putredinis natura
» est mutatio totius putrescentis corporis substantiæ
» ad corruptelam à calido externo, non enim profecto

» à proprio calore corrumpitur quicquam, immo con-
» tra prorsus quicquid in rebus subsistit id glíscit robo-
» ratur sanum est & uiuit dum proprio calore regi-
tur. Ex quibus duobus locis apparet iam conuenientia inter Aristotelem & Galenum de causa effectiua ipsius putredinis ipsamq; esse calorem alienum & extraneum. Conuenit quoque Galenus cum Aristotele de causa materiali, seu de subiecto in quo ipsa fit putredo, Aristoteles enim dixit in uno quoq; humido, Gale uero in commento.xi.tertie particule secundum Leoniceni translationem dixit primum, humiditates modum excedentes habiles esse ad putredinem deinde paulo infra magis aperiens putredinis causas dixit ipsum quidem humidum quod in nostris putret corporibus quædam ueluti materia est à ui caloris patiens humiditas uero ambientis aeris quatenus non sinit exficcari humorum in corpore super abundantiam eatenus adiuuat uim putrefacientem. Ecce asserit hic Galenus cum Aristotele humiditatem putrescibilis corporis pati in ipsa putrefactione à ui caloris. Et addit unum quod non ponitur ab Aristotele humiditatem scilicet ambientis aeris concurrere etiam ad putrefactionem in eo quod fouet humiditates corporum, hoc est, ipsorum humorum. Dixit autem sæpenumero Galenus calida & humida corpora obnoxia esse putredini libro enim quarto methodi medendi capite. v. in antiqua translatione inquit necesse est quod pu-

aliena calida sint: talia enim frigida potius q̃ calida dici debent & nuncupari ponit q; ibidem philosophus ipsa esse sicca. quomodo igitur humida ponuntur.

Preterea si calida & humida corpora præ cæteris putredini sunt obnoxia quum solus sanguis inter humores sit calidus & humidus deberet ipse præcæteris magis putrefieri, & frequentius, & præsertim quum locus eius sit intra uenas, & arterias que calide sunt nec sanguis in eis existens uidetur bene transpirare plures itaq; putride febres ex sanguine ipso q̃ ab alijs humoribus accidere deberent, cuius contrarium quottidiana nos docet experientia.

Contingit & tertio adhuc dubitare quomodo hoc uerum sit quod & Aristo. & Gale. affirmant putrefactionem ab extraneo calore produci quum ipsa ponatur inter causas calefacientes, ut legimus à Galeno in libro de morborum causis, ubi ponit putredinem inter causas calefacientes, & hoc ipsum affirmauit Aui. fen. secunda primi canonis summa secunda capite primo. Et repetit rursus hanc sententiam Galenus in libro de quatuor temporibus uniuersalibus morborum capite.iij.ubi dixit quando res incipit putrefieri caliditas quædam innascitur propter putredinem, dixit quoq; in libro de tumoribus præter naturam capi. secundo, qua propter ex putredine procedit caliditas qua prius tenebatur esset itaq; idem producens, & productum, & causa, & causatum ut apparet.

Ad hec

A d hęc omnia respondentes & ad primam dubitationem dicimus Galeni sententiam non aduersari his quæ ab Aristotele dicuntur, si enim Galenus totiens affirmauit putrida corpora calida esse & humida intellexit utiq; de caliditate aliena, non autem de naturali, seu natiua, & utiq; uidit & posuit illam inductam philosophi sententiam in libro secundo de temperamentis. folio.vi.ubi dixit. Omnia quæ putrescunt esse calida caliditate extranea & frigida frigiditate naturali, & hoc profecto omnis exercitatus philosophus potest uidere, si enim dum fit putrefactio corrumpitur naturalis calor à calore extraneo qui in rem putrefactam ingreditur loco caloris naturalis, ut in ipsius deffinitione uisum est, necesse utiq; est ipsa putrefacta frigida esse propter caloris naturalis priuationem, calida uero propter præter naturalis caloris præsentiam sunt quoq; sicca quoniam calor ille extraneus naturale humidum facit exalare, & ideo tandem incinerantur.

A d secundam uero difficultatem in qua inferebatur q; tunc sanguis deberet citius & facilius q̃ qui uis humor putrescere dicimus utiq; hoc uerum esse quantum est merito sui intemperamenti & loci quem possidet quod uero non sic prompte sed difficilius & raro admodum putrescat euenit propter sollicitudinem naturæ circa ipsum est enim sicut filius dilectus naturę, ideo dixit de ipso Mesue q; custodit natura sanguinem sicut auarus thesaurum suum, &

Gale. commento xliiij. quinte partiale postquam di xit, humorem bonum esse sanguinem subdit hic enim humor est nobis amicus, quum uero exit locum proprium uenas uidelicet et arterias statim putrescit, ut patet ex aphorismo. xx. sexte particule. si in uentrem sanguis fluat præter naturam necesse est insaniem conuerti, tunc enim destituitur à regimine naturę secundum quem modum & humores quoq; alij putrescunt, ut legimus in commento. xij. secunde particule ubi Galenus dicit. Omnis humor alienus à natura corporis in quo continetur, neq; aptus natura est ad eius nutritionem relinquitur, ut necessario ad putredinem conuertatur, quum uero & locus calidus erit in quo fuerit collectus tunc celerrime putridus fit. Et in secundo de diffe. febrium capite ultimo dixit. Humor à proprio calore non rectus oportet ut ad putredinem trāseat tantum tamen inter est quoniam si qui uis alius humor una cum sanguine ponatur in quo uis loco, & destituti ambo à regimine naturæ sint longe citius putrescet sanguis ob naturam suam calidam & humidam q̄ humor alius sanguini adiunctus.

Ad tertiam quoq; difficultatem non est difficile respondere, putrefactio enim de qua medici loquuntur non producitur nisi per uiam cuiusdam male ebullitionis à calore extraneo in humoribus uel aliquo ipsis proportionali facte, & ex hoc facile est uidere putredinem non solum produci à calore extraneo, sed &

ipsam quoq; postq̃ producta est, consimili calore alia calefacere, ex humoribus enim efferuescentibus dum putres fiunt, & postq̃ putres sunt, & uicina membra, & humores alij nondum putres, necesse est calefieri, immo recte consideranti apparebit ipsos met humores putres ex putrefactione fieri calidiores (hoc & enim uidebatur petere difficultas quæsiti) & illud quidem bifariam ostendi potest, primo quia intensiue redduntur calidiores quoniam sicut non statim acquirunt omnem gradum putredinis, ita nec omnem caloris extranei gradum sed sicut successiue continue acquirunt maiorem gradum putredinis ita & intensior caloris extranei gradus eis acquiritur. Secundo modo potest illud idem ueritatem habere quia extensiue reddantur calidiores, quoniam non est credendum q; accidente alicui humori putredinę statim omnes eius partes sint putres sicut nec ęque omnes aptę sunt putrefactionem suscipere fiet igitur ut dum putredo per plures partes extenditur, ita & eis maior caliditas extensiue sit communicata, nec rem unam ab alio calefactam, alia calefacere aliquam includit repugnantiam, immo sensus quottidie hoc nos docent.

Et posteaq̃ uidimus ex Aristotele & Galeno putredinis deffinitionem & eius tum efficientem causam tum materialem ne cum multis recentioribus tam philosophis q̃ medicis in ignorantiæ tenebras ambulemus operepretium ducimus de eo quod princi-

paliter intendimus perscrutari sit ne eadem putredo illa de qua philosophi loquuti sunt, & potissimum Aristo. cum illa de qua totiens apud medicos est sermo, an uero distent inter se & dissideant, & si dissident, in quibus dissedeant. His enim (ut puto) clare cognitis haud obscura & angusta erit uia medicis immo lata & aperta loqui de putredine, qua de re nemo recentiorum medicorum ante nos sine manifestis erroribus sermonem fecit. Nec quæ ab Alberto Alemano (apud multos cognomine magno) in libro .iiij. metheororum tam prolixe de putredine scripta sunt iusta reprensione carent. Sed nos dimissis contradictionibus (forte enim à principali intento nos deuiarent.) Ad id quod promisimus absoluendum accedamus. Dicamusq; uideri forte aliquibus unam eandemq; esse putredinem circa quam philosophi & medici uersantur, una enim fermè est ipsius apud philosophos, & apud medicos (ut uidimus) notificatio. Laudauitq; Galenus Aristotelem libro secundo de diffe. febrium, quod dixit, putrefactionem fieri ab aliena caliditate, & non solum laudauit sed probauit eius dicti ueritatem. Et ibi. Et .xi. methodi cap. viij. ut superius induximus. Dixit quoq; Aristo. fieri ipsam putredinem in uno quoq; humido. Et Galenus persequens hanc sententiam affirmauit sepenumero calida & humida corpora inter cetera magis obnoxia esse putredini, & deniq; commento. xi. tertie particule adhuc clarius cum Aristo. loquens

dixit, ipsum siquidem humidum quod in nostris putret corporibus quædam ueluti materia est à ui caloris patiens, ponit itaque humidum esse putrefactionis materiam siue materialem causam seu ipse posuit Aristo.

Possunt profecto hæc persuadere non bene exercitatis in philosophorum medicorumque dictis circa eandem putredinem hos duos artifices uersari & multi ante nos etiam hoc crediderunt.

At nos errorem hunc submouentes, ostendemus duas has putredines in multis utique conuenire, deinde uero ostendemus plura esse in quibus dissideant. Videntur autem quatuor potissima esse in quibus istæ putredines conueniunt seu communicant. Primum est efficiens eas causa, utranque enim extraneus calor excitat & producit, ut ex Aristotele & Galeno uisum est. Secundum est materialis causa in ambabus & enim subiecta materia in qua ipsæ fiunt est humidum. Tertium est quod in utraque putredine quæ putrida sunt calida sunt caliditate extranea & aduentitia, & frigida naturali frigiditate, quæ per caloris naturalis priuationem inducitur, & augetur: in qualibet nanque ipsarum natiua caliditas in his quæ putrescunt ab extranea corrumpitur caliditate. Quartum est inest terminus ad quem sua putrefacta tandem deueniunt qui terminus est incineratio, ad incinerationem enim perueniunt putrida omnia quod quidem legimus à phi-

losopho metheororum libro quarto, & textu quarto ubi dixit. Propter quod humida primum deinde sicca tandem putrefacta fiunt. Et textu sexto dixit. Poene idem repetens propter quod sicciora fiunt putrefacta omnia & tandem terra & fimus. Docuit & nos hoc idem Galenus in libro primo de febrium diffe. capite. v. in exemplo de cumulo stercoris columbini. Et in libro secundo capi. ultimo de lignis quae ab igne combusta tandem incinerantur nec sunt amplius ignis idoneum uehiculum quod exemplum fuit positum ad ostendendum modum quo accessiones seu parocismi in intermittentibus febribus terminantur, ac deinde redeunt, tunc enim terminantur seu desinunt quum humores putres à quibus fuerunt excitati post putrefactionem incinerantur ipsi & enim quando sunt incinerati febrilem calorem amplius retinere non sunt apti sicut neque iam incinerata ligna ignis uehiculum esse amplius possunt.

Satum est enim ex dogmatibus philosophiae naturalis quod quamuis ignis in propria sphaera in summa caliditate & siccitate conseruetur in corporibus tamen in quibus infra propriam sphaeram reperitur absque humiditate qua pabuletur seu nutriatur conseruari minime potest uniuscuiusque enim mixti proprius calor in proprio conseruatur humido quo deficiente ex aduenientente undecunque siccitate naturalis seu proprius calor haud quaquam remanere potest:

hæc sunt in quibus illæ duæ putredines potissime conueniunt.

Plurima autem sunt in quibus interse dissident, quod ut facilius, ac clarius cognoscatur præmittimus Aristotelem in libro quarto metheororum non loqui de putredine quæ ex quauis aduentitia causa humano aut alteri naturali corpori, & potissimum animantium potest euenire. Sed de illa tantũ loquitur quæ aut uis mixto per tempora suę permanentię decurrenti ex in proportione elementorum ex quibus mixta ipsa producuntur, & consistunt de necessitate accidit, sicut enim ex elementis, uel ipsorum qualitatibus sub debita interse mensura & proportione existentibus mixta generantur, & genita conseruantur, ita ex illorum in mixtis existentium disproportione ex continua continentis actione in eis producta propter quam mensura illa temperamenti mixtorum formis debita, & conueniens permutatur fit ut mixta omnia senescant, & tandem corrumpantur atq; putrescant. Ad quod plurimum quoq; operatur contrarietas primarum qualitatum quę in mixtis existunt inter se semper agentium et patiẽtium. Propter quod dixit Auerroes libro secundo de cœlo & mundo commento trigesimoseptimo, quod una causa corruptionis animalium est, quoniam composita sunt ex elementis quæ sibi inuicem contrariantur, & ideo fit inter ea continua actio & passio ad quas tandem ipsorum mixtorum corruptio sequitur.

E st igitur (ut breuibus ordinantes repetamus) putrefactio de qua philosophi considerant mixtorum naturalium quædam passio ex temporum decursu eis necessario, & quasi naturaliter eueniens, sicut senectus & mors aliqua tam à philosophis q̃ etiam à medicis dicitur naturalis, & in hoc differt putrefactio ista ab adustione, est enim adustio semper mare uiolenta fit enim ab externo calore uiolenter agente in quod uis corpus naturale, uel etiam artificiale, & nunquam per solum temporum decursum aduenięns ex quibus apparet error Alberti aliam de hoc somniantis causam in libro quarto metheororum propè principium, eorum autem quæ diximus ueritatem accipimus ab Aristotele illo libro quarto metheororum textu tertio quum dixit. Simplici autem generationi contrarium maxime commune putrefactio omnis enim quæ secundum naturam corruptio in hanc uiam est, & senectus, & ananfis.i. à refactio quæ est plantarum senectus naturalis itaq; corruptio uia est in putredinem istam quam ipsi considerant. At istius putredinis nulla ferè medicis est consideratio quum eam utpote naturaliter euenientem prohibere minime possint. Dixit enim (et quidem rectè) Aui. fen. tertia primi libri canonis capite primo. Scias q̃ ars sanitatem conseruandi non est ars quę nos à morte securos reddat.

S ed quam medici considerant putrefactio ipsa uia est in corruptionem animantium, non corruptio in

ipsam

ipsam acciditq; seu excitatur in humano corpore(in quo solo ipsam primum medici considerant) non ex temporum decursu sed ex aduentitijs,et pręter naturam causis ei occurrentibus ex indebbito regimine in aliqua sex rerum non natura'ium,uel in pluribus aut in omnibus.Sunt autem istę sex res non naturales apud medicos, aer, cibus & potus, motus & quies, somnus & uigilia, inanitio & repletio,& animi accidentia.

Appellantur autem istę res non naturales quoniam quantum est in seipsis,neq; secundum naturam,neq; contra naturam se habent in respectu ad corpora humana sed indifferenter auxilio & nocumento esse ipsis possunt.De quibus dicebat Gale. in libro tertio
" artis medicinalis capite secundo. Omnia igitur nunc
" dicta genera materiæ quædam sunt salubrium &
" insalubrium causarum. At usu oportuno adhibito
" causę fiunt conseruatrices,atq; salubres.Sed ubi amo
" do deliquerint insalubres redduntur, unde etiam li-
" quet ex his nullam harum rerum exteriorum, aut
" salubrem, aut insalubrem à nobis existimare opor-
" tere. At easdem potius quandoq; quidem salubres,
" quandoq; uero insalubres in eo quod ad aliquid esse,
" hæc Galenus.

Considerant quoq; medici istam putrefactionem non ut toti humano accidit corpori,quemadmodum philosophi considerant ipsam respectu totius mixti.Sed primaria medicorum de ipsa consideratio est quate-

nus reperitur in humoribus in humano corpore exi-
stentibus, uel in aliquo eis proportionali. Debent
enim nostrorum corporum humores si sani esse &
permanere debemus certam conuenientemq́;, tum
quantitatis, tum qualitatis mensuram habere, quæ
tamen secundum diuersorum hominum diuersa tem-
peramenta diuersa est, habetq́, in quouis tempera-
mento latitudinem non paruam. Quum itaq; accidit
ut humores nostri corporis, uel quantitate ipsorum
nimium aucta, uel qualitate nimium extranea effe-
cta ad hoc perueniant, ut à corporis in quo sunt na-
tura bene regi seu gubernari non possint. Destituti
ab eius regimine ad putrefactionem perducantur,
ut superius annotauimus ad mentem Galeni in li-
bro secundo de diffe. febrium capite ultimo. Et in
» commento.xij. secunde particule ubi dixit. Omnis
» humor alienus à natura corporis in quo continetur
» neq; aptus natura est ad eius nutritionem relinqui-
» tur, ut necessario ad putredinem conuertatur. Quum
» uero & locus calidus erit in quo fuerit collectus
» tunc celerrime putridus fit hæc ipse. Et quoniam
calor quoq; naturalis si proprias funtiones, absq;
noxa prosequi & perficere debeat oportet ut sub
debbito gradu & conuenienti mensura sit, quod
quidem fieri haud quaquam potest nisi bene euen-
tetur, hinc aliquando fit ut retinentibus humoribus
debbitam, tum qualitatis, tum quantitatis mensuram
superueni ente tamen indebbita et ipsorum & calo-

ris naturalis flabellatione, siue ut neotherici dicant, euentatione propter meatuum corporis obstructionem, aut ex continente nos frigido, aut ex balneatione in aquis stiptias factam, humores ipsi putrescunt, ex quibus demum sic putrefactis putridę excitantur febres. Ac propterea quum quæritur quare putrida febris in corpore est inuenta recte respondetur, quia putrida fuligo cor occupat. Et rursus quare putrida fuligo cor occupat, quia putredo in humoribus illius corporis reperitur, quod si adhuc quæritur quare putredo in humoribus reperitur recte respondetur, quia indebbita transpiratio in corpore est inuenta. Indebbita uero transpiratio in corpore reperitur, quoniam obstructio seu opilatio corpus obsidet, obstructio autem ipsa corpus obsidet quoniam causæ ipsam producentes sunt inuente, & tanti fecit Galenus ad putredinis generationem indebbitam ipsam transpirationem. Vt dixerit in libro. xi. methodi medendi capite quarto in antiqua translatione illa tantum putrere corpora quæ quum calida humidaq; natura sint, neq perflata, neq uentillata in calido humidoq; loco maneant quod si in motu sint uentillenturq;, ac perflentur posse ea non putria integraq; seruari.
" Et deinde in capite. viij. eiusdem libri. Post indu-
" ctam putredinis deffinitionem subiungens dixit
" ueluti nimirum ipsa animantium corpora tamet-
" si plurimam naturæ suæ portionem humidam &

„ calidam sint sortita, magnum tamen annorum nu-
„ merum sine putredinæ, ac sana uiuaq; exigunt si
„ seruetur (ut monstratum est) eorum proprius calor,
„ in cord bus quidem corpore per inspirationem, in
„ reliquis omnibus partibus tum per communitatem
„ quam habent cum corde, tum per alteram respiratio-
„ nis speciem quæ per totam agitur cutem, & tran-
„ spiratio perspiratio ue dicitur, his uero lęsis una etiam
„ naturalis calor lęditur. Alter uero quidam alienus
„ & præter naturam in corporibus excitatus, primum
„ quidem ipsos succos propter humiditatem putrefacit
„ & corrumpit. In libro quoq; de mala comple-
xione diuersa siue dicas de inequali intemperie ca-
„ pite v. in antiqua translatione dixit. Quę non tran-
„ spirantur facile putrescunt. Et in libro primo de dif-
„ ferentijs febrium capite tertio dixit. Corpora plena
„ malis humoribus, in quibus tamen nulla obstructio
„ aliquod uiscerum possidet sed difflantur, ac refrige-
„ rantur sanitate quidem fruuntur sed dubia & mo-
mentanea. Libro quoq; secundo capite. ix. dixit.
„ Quod uero ea quę non difflantur putrescere soleant
„ indicant exteriora omnia quemadmodum fructus
„ & semina, uestesq;. Præterea & ut breuibus me
expediam, ubicunq; ipse Galenus de putredinis cau-
sis sermonem habuit affirmauit impeditam seu in-
debbitam trāspirationem potissimam putrefactionis
esse causam. Dico autem potissimam non autem ade-
quatam, quoniam ipse idem Galenus in libro de ine-

„ quali discrasia non longe à fine inquit. Neq enim
„ ea solum quę inculcata sunt & perspiratu prohi-
„ bita putrescunt, uerumetiam celeriter ea, maxi-
„ meq; cæterum putrescunt, & alia multa quæ pu-
„ tredam sunt oportuna.

Existimauit quoq; Gale. eodem capi. quarto.xi. methodi medendi putridas febres non posse curari quamdiu remanet indebbita perspiratio siue transpiratio, quoniam nequaquam cessat febris putrida nisi cesset putredo hanc autem cessare est impossibile remanente sua causa quę (ut uisum est) impedita seu indebbita est euentatio siue perspiratio.

Considerant quoq; medici alios putredinis modos, ut ciborum putrefactorum in uentriculo, quem uulgo stomachum dicunt, et ipsius chili in uentriculo, uel in intestinis, uel in epate ipso uitiati & corrupti, & illam quoq; putredinem quæ est in abscessibus, aut intrinsecas, aut extrinsecas. Considerant, et illam quæ est in supporratis quos neotheria empicos uocant, considerant quoq; illam quæ in pthisicis inuenitur, & alia id genus in quibus (quia locus iste non exposcit) nunc non insistimus. Sed satis sit id tantum in præsentia dixisse putredines omnes, quæ in humanis inueniuntur corporibus, aut ex humoribus à regimine naturæ destitutis, aut indebbite flabellatis, aut ex aliquo eis proportionali accidere. Isti ergo fideliter iam enarrati potiores profecto sunt sermones, qui de natura putrefactionis

ac eius primarijs causis à medicis fiunt. Qui quantum distent à sermonibus philosophorum de ipsa quilibet etiam tardioris ingenij claræ cognoscere posset. Ad faciliorem tamen legentium doctrinam ea omnia in ordinem redigemus, dicemusq; ex iam dictis haberi posse sex esse potissima in quibus illæ duæ putredines uel considerationes illorum duorum artificum de eis interse diffideant, ac primum quidem præceteris magis animaduertendum est, quia ut uidimus putrefactio, quam philosophi considerant accadit corporibus naturalibus ex decursu etatiuo, post senectutem quidem in animalibus, post marasmum uero, idest arriditatem in plantis, ex quibus tendentes ad corruptionem tandem putrescunt. Et ex isto primo sequuntur duo, alia in quibus ipse differunt. Quorum unum est, quod putrefactio illa circa quàm philosophi uersantur dici potest, & est quodammodo naturalis, sicut & senectus ipsa & mors aliqua naturalis dicitur. Aliud uero quod ex illo primo, & hoc secundo sequitur est. Quod naturalis mors seu corruptio est uia in hanc putredinem, ut dixit philosophus in illo textu tertio quarti metheororum superius inducto, omnis enim quæ secundum naturam corruptio in hanc uia est. At quæ à medicis consideratur putredo minimæ fit ex decursu etatiuo propter causas fermè naturaliter senectutem & corruptionem inducentes. Sed fit in omni etate ab extraneis, &

aduentijs causis ex quo apparet ipsam non debere nuncupari naturalem sicut illa nec sequi ad naturalem corruptionem sicut illa, immo corruptio non tamen naturalis ad ipsam sequitur, & ideo opposito ferè modo se habent, nam naturalis corruptio est uia in illam, ista autem est uia incorruptionem licet non naturalem, uidemus enim in dies multos ex humorum putredine incurrere febrem & ex illa mortem suppurrati etiam, & alij multi ex humorum putrefactione moriuntur.

Quartum in quo dissident est, quod philosophi putredinem considerant, ut est mixtorum omnium uniuersalis passio. Medica uero de ipsa consideratio haud quaquam de omnibus est mixtis sed coartatur et restringitur ad ipsam, ut solum humanum afficit corpus, quomodo uero cætera putrescant per se medicus non intendit.

Dissident & quinto, nam philosophi putrefactionem considerant ut toti accidit mixto postquam naturaliter corruptum est. Medici uero non totius humani corporis putrefactionem, neque post ipsius corruptionem ipsam considerant, sed tantum ut humores uel aliquod eis proportionale putredo afficit, & humano corpore adhuc uiuente est de ea apud ipsos consideratio.

Sextum in quo potissimum hæ duæ putredines dissident est, quoniam putredo de qua apud philosophos est sermo nequaquam est corrigibilis, ita ut

ſubiectum iam putrefactum minimæ quo uis ingenio, ad priſtinam naturam poſſit reduci. Contra uero multi ſunt qui putredinæ illa affecti, de qua medicorum primaria eſt conſideratio medicinæ beneficio ad ſanitatem quam prius poſſidebant reducuntur, compertum enim & ratione, & experimento à medicis eſt humani corporis humores biffariam putres fieri, aliquando enim tanto putredinis gradu, ut nequaquam ſint corrigibiles uerum neceſſe eſt, ſi ægrum hac putredinæ corpus ſanitati reſtitui debet humores tali putredinæ affectos, aut pharmacho, aut quo uis alio ingenio ecorpore euacuare. Aliquando uero ita leui & remiſſo putredinis gradu afficiuntur, ut medicinalibus auxilijs adhibitis putredo ipſa ab humoribus adhuc incorpore remanentibus omnino remoueatur & ceſſet. Et hoc docuit nos Galenus commento. xvij. ſecunde particule ſuper aphoriſmo, ubi cibus præter naturam plus ingeſtus eſt, ubi ſub exemplo de uinis hanc ſententiam explicauit inquiens. Quod

„ enim in uinis accidit acceſcentibus, tale quoddam et
„ in ſanguinis alteratione contingit, quod autem in
„ uinis accidit tale eſt. Vbi ex toto acida facta ſunt
„ non redeunt rurſum ad uini naturam, paruo autem
„ in ipſis facto momento, ita quod acidum quidem ha
„ bent ſaporem, nondum tamen acetum ſunt multa
„ ſępius ex his priſtinam naturam recuperarunt, hoc
„ idem in ſanguine euenit, nam & ipſe ubi magna in

eo ſit

„ eo sit facta corruptio non redit amplius ad habitum
„ naturalem, si uero paulatim fiat, ubi id quod super-
„ fluum fuerit euacuatum, quod residuum existit ad
„ suam naturam restituitur. Hæc Galenus ex quibus
acre solersq́; ingenium eliciet uerum sensum sub
obscuri dicti sui. In libro tertio Artis medicinalis ca
pite sexto, & est caput octuagesimumnonum se-
cundum translationem Leoniceni non distinguen-
„ tis libros, dicit enim ibi Galenus. Esto enim si ita
„ contigerit in humoribus putrescentibus accendi fe-
„ brem indicatio in huiusmodi est euacuatio, atq; alte-
„ ratio, hæc quidem quæ putredinem finiat manen-
„ te adhuc substantia, euacuatio uero, quæ totam
„ ex corpore substantiam educat. Quorum uerbo-
rum uerum sensum, neq; conciliator, neq; specu-
lator Gentilis potuit attingere. At nobis dicta hæc
ex præfato commento apparent satis clara. Voluit
enim Galenus hanc sententiam, quod in febribus
quæ ex putridis excitantur humoribus, duplex est
curandi intentio, una humorum putridorum altera-
tio, idest concoctio per quam coctionem finitur .i.
cessat humorum putredo, quando uidelicet leui illa
putredine affecti sunt nec est necesse eos ecorpore
educere, & ideo dixit manente substantia, altera
uero intentio est ipsorum humorum ecorpore eua-
cuatio, et hæc completur seu hanc exequimur quan-
do humores sunt ita extraneati, & putres facti,
ut nulla qua uis alteratione possint ad pristinam

naturam restitui.

Sed circa superius dicta, hoc est humores, tunc fieri putres quum destituuntur à regimine naturę non immerito dubitabit aliquis ex eo, quod experientia nos docet, naturam humores immo et carnes iam putres adhuc gubernare quum uideamus, & uermes, & uespa, & alia id genus animalia ex ipsis generari quod absq; naturæ munijs fieri posse non uidetur.

Corroboratur & adbuc hoc ipsum ex Galeni sententia in libro primo prędictionum seu prognosticorum commento ultimo. Et in libro primo de differentijs febrium capite sexto pauloante inducto. Affirmat enim in his locis, saniem fieri à calore naturali simul & ab extraneo, ita ut illorum nullus se solo totale sit agens in eius productione sed amborum concurrit actio quin immo in hoc dicat differre seminis generationem à generatione puris eo quod semen à solo fit calore naturali, ad puris uero generationem cum calore naturali, calor quoq; pręter naturalis concurrat ex quibus apparet non omnino esse uerum putres humores à naturæ regimine esse prorsus destitutos, immo naturam circa ipsas adhuc operari.

Ad hęc breuibus respondemus, & ad primum quod obicitur dicimus non inconuenire materiam aliquam esse ita extraneam tam ac seiunctam à natura alicuius speciei ut nullo quouis pacto illius speciei forma stare possit cum illa materia quæ tamen ab aliqua

alterius speciei forma optime informabitur. Alterius enim, & alterius formæ secundum speciem alia, & alia est materia secunda secundum speciem. Vnaquæq; namq; forma in propria materia nata est recipi, ut Aristoteles dixit in libro secundo de anima. Non itaq; claudit repugnantiam ex putri phlegmate seu pituita in humano corpore generari uermes licet humor ille adeo à regimine humanę naturę sit destitutus, ut hominis membra amplius ex eo nutriri minime possint. Idem quoq; dici debet de carne putri uacarum ex qua uespę generantur. Quod uero sit agens à quo hæc animalia ex putri materia producta generantur non est nostrum nunc inquirere, satis enim notum est ex Auerroe commento decimooctauo duodecimi libri methaphisices, & est alibi autem hic non pretereundum quod & si illa materia putris sit nec amplius idonea substentare formam illam qua prius informabatur, est tamen concocta concoctione conuenienti & proportionata illi formæ quę de eius potentia educatur, & in ea recipitur: neq; ista in naturalibus aliquam claudunt repugnantiam. Et ideo dixit Auicenna prima sen. quarti canonis in capite de febre sanguinis non esse necessarium quod ex putrido seu ex putredinę generatur esse putridum quæ auctoritas hic multum deseruit.

Ad aliud autem quod de puris & saniei generatione obiciebatur dicamus pus utiq; non sic esse destitutum

à calore, uel uirtute naturali, ut naturalis calor nihil penitus agat, uel operetur in ipsum, sed dicatur quod sit destitutum à regimine naturæ hominis, quoniam natura non amplius circa ipsum laborat, ut conuertat eum ad corporis humani nutricationem: conatur tamen ut in illo genere meliorem formam & modum consequatur quod enim album sit, & substantiam habeat mediam inter subtilitatem uirus et crassiciem sordiciei quodq; minimum fetoris redoleat id totum habet à calore naturali, quodcunq; uero in eo turpis, & mali est à calore producatur extraneo. Hæc sunt Reuerendissime *Domine quæ in hoc quæsito, nunc sufficere arbitramur.*

FINIS.

Venetijs per M. Andream de Arriuabenis.
M D X X X I I I I.
Mensis Octob.



N°. 110. — 424.

